

Benedicti vos à Domino, qui facit unius moris habitare in domo: & qui germanitatis vinculum duplicavit in vobis; quos & in Ecclesia utero fratres fecit: & sub una fide, variis distinctis officiis: ut sub diverso munere alter alterum pasceretis. Tu illum spiritualibus armis jejuniis & orans juvares: & ille in te coelestia sibi bona fereret, dum carnalia tibi alimenta suppeditat: non indigenti quidem pereuntis esca sumptu: quia fames tua iustitiam & regnum Dei esurit. Sed tamen idem Dominus, qui fecit quod intus est, fecit & quod foris est. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Ideo viventem licet animam in verbo Dei quod est Christus, qui verus & vivus panis est, tali remuneratur obsequio: ut corpori tuo, id est, terrenae in te fragilitati serviat cibis modicis: & ipse jejuniorum tuorum abundantia saginetur. Ideo enim dixit: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Quia ut infirmioris substantiae nostrae ratione esurire habuit, proinde & carni panem necessarium ipse creator ostendit. Sed ne corporis curam, animae praepareremus, quae verbo Dei pascitur: non in solo pane (vitam hominis constare monstravit: atque ideo cum dixit: Non in solo pane, etiam in pane victum hominis constitutum docuit: quem etsi animae cura non quaerat, tamen corporis natura deposcit.

Ideo benedictus ille, cui ad opes animae proficit necessitas conditionis tuae. Quia adhuc homo, & isto visibili pane pascendus es: etsi interius aeterno illo pane fatureris. Non enim proficeret spiritualis virtus, nisi subesseret carnalis infirmitas. Nec esset potens fidelium ministratio, nisi materiam ministrandi plerumque inopia fraterna praepareret. Unde & Apostolus ait in sanctos compensationem futuram, cum Ecclesiam Dei ad consolationem istius benedictionis hortatur, & dicit: Abundantia vestra sit ad illorum inopiam. Et ut illorum abundantia vestra inopiae supplementum fiat: adhuc audeo dicere, in utroque vestrum diversa Joannis & Domini forma consistit, Joannis in deserto vox clamantis: & Domini in templo docentis. Et unus vestrum in servitute ministerii vocatus est: alter in monachi libertatem, Sed utriusque in unum Dei regnum & gloriam convocati: & ambo liberi, quia ambo sub gratia: & ambo servi, quia ambo sub lege fidei. Ambo liberi à peccato, & ambo servi iustitiae, & ambo in jejuniis Domino diem sapitis, & ambo in epulis sinceritatis Domino gratias agitis, qui dat escam omni carni: & dat escam vivam esurientibus veram vitam. Unus vestrum audivit ut dicat: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam. Et alter ab eodem Propheta didicit dicere, Singulariter ego sum donec transeam.

Ergo quia sic electi estis & dilecti Domino, ut alter alterius onera portetis, & charitate perfecta qua invicem vos pascitis, sustinetis, instruitis, locupletatis, adimpletis legem Christi: orate pro nobis, conferite validas orationum manus: ut supereritis multitudinem peccatorum nostrorum. Ob hoc enim misericors & miserator Dominus, peccatoribus suis sanctorum notitiam charitatemque procurat & donat: ut etiam inexcusabiles reos praepotens advocatio meritis damnationis absolvat. Maneatis in regno Domini: quod intra vos fecit esse per inhabitantem in vobis arrabonem Spiritus sancti, in quo clamatis, Abba pater. Benedicti Domini Filii pietatis & pacis & luminis.

#### IN APOLOGIAM PAMPHILI PRO Origene Ruffini ad Macarium proœmium.

**C**OGNOSCENDAE veritatis amore permotus o vir desideriorum Macari, injungis mihi rem quae tibi agnita veritatis gratiam conferat: mihi tamen non dubito quin offensam maximam comparet, eorum qui se laesos putant, ab eo qui de Origene non aliquid male senserit.

Et quamvis non meam de eo sententiam, sed sancti maris Pamphili scitatus sis, & librum ejus quem pro Origene in Graeco scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in Latinum: tamen non dubito futuros, qui & in eo laesos se putent, si nos aliquid pro eo vel alieno sermone dicamus. Quos tamen & ipsos deprecamur, nihil praesumpto vel praedictato animo agere: sed quoniam ad iudicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est: ne forte ignorantes delinquant: considerantes quia falsis criminationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christum peccare est. Et ideo non accommodent criminatorem aures suam: nec ab

alio discant alterius fidem: maxime cum coram experiri sit copia: & oris sui confessio, quid vel qualiter uniusquisque credat ostendat. Sic enim scriptum est: Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: & ex verbis suis uniusquisque iustificabitur, & ex verbis suis condemnabitur.

Qualiter ergo sentiat Origenes de singulis, tenor libelli huius edoceat. De his autem quae apud eum contraria sibi inveniuntur, quid causa sit, in ultimo brevi addita assertionem docuimus. Nos autem sicut traditum nobis est à sanctis patribus, retinemus, quod sancta Trinitas coaeterna sit & unius naturae, uniusque virtutis atque substantiae: & quod Filius Dei in novissimo tempore homo factus est, & pro peccatis nostris passus est: & in ea ipsa carne, in qua passus est, resurrexit à mortuis: propter quod & resurrectionis spem humano generi tribuit. Carnis vero resurrectionem non per aliquas praestigias, sicut nonnulli calumniantur dicimus: sed hanc ipsam carnem, in qua nunc vivimus, resurrectionem credimus, non aliam pro alia, nec corpus aliud quam huius carnis dicimus. Sive ergo corpus resurrectionem dicimus, secundum Apostolum dicimus: hoc enim nomine usus est ille: sive carnem dicimus, secundum traditionem symboli confitemur. Stulta enim adinventio calumnia est, corpus humanum aliud putare esse quam carnem.

Sive ergo caro secundum communem fidem, sive corpus secundum Apostolum dicitur quod resurget: ita credendum est sicut Apostolus definit: quia quod resurget in virtute, resurget & in gloria, & incorruptibile resurget & spirituale corpus: quia corruptio in corruptionem non possidebit. Salvis ergo his praerogativis futuri corporis vel carnis: resurrectio carnis credenda est integrè atque perfectè: ut & natura carnis eadem servetur: & incorrupti ac spiritualis corporis status & gloria non infringatur. Sic enim scriptum est: Haec in Hierosolymis in Ecclesia Dei à sancto sacerdote ejus Joanne praedicantur: haec nos cum ipso & dicimus & tenemus.

Si quis praeter haec vel credit vel docet, vel à nobis aliter credi quam exposuimus putat: anathema sit. Nostra ergo fidei documentum, si quis habere vult, habeat ex his: siquidem aut legimus, aut huius fidei nostrae facimus rationem, secundum Apostolum probantes omnia, quod bonum est tenentes, ab omni specie mala nos abstinentes. Et si qui hanc regulam sequuntur: pax super illos & super Israel Dei: Amen.

#### APOLOGIA PAMPHILI MARTYRIS pro Origene, interprete Ruffino.

**N**IHL mirum fratres videmini esse perpepsi quod ita vos Origenes subterfugit intellectus: ut vos quoque aeternitatis de illo quae & alii nonnulli: qui sive per imperitiam sui, quia non valent sensus ejus altitudinem contueri: sive pravitate mentis, qua studium gerunt: non solum dicta ejus incusare: verum etiam adversus eos qui haec legunt hostiles inimicitias sumere: tam pertinaciter id agentes ut nulla profusus venia eos dignos haberi putent: ne ea quidem quae impartiti solet, verbi gratia, his qui Graecorum secularium libros, vel nonnumquam etiam haereticorum percunctandi atque cognoscendi studio decurrunt: sibi solis scilicet concedi debere peritiam probandi sermonis putant, ut si quid bene ab aliquo dictum est retinere sciant: ab omni specie mala abstinerere se noverint. Ab his vero qui Origene libros legunt, istud penitus exclusum putant esse mandatum: quo probabiles jubentur effici trapezite, scientes quod bonum est retinere: ab omni autem specie mala se abstinere: sed tantummodo si legere libros illius visus fuerit, statim ab his haereticorum perfundatur infamia. Denique cum multis huius vitae & religiosi proposito viris, in quibus nihil profusus culpae invenitur, inimicitias propter hoc solum habent, si eorum studia circa memorati viri libros propensus esse perspexerint: invidiosus etiam ista fingentes, quod ab his in locos sanctorum Apolorum vel Prophetarum tam ipse quam dicta ejus habeantur.

Sed de hoc certum non habeo, utrum calumniandi voto tantummodo ista jactent: an & verè ab aliquibus simplicioribus & propensiori affectu diligentibus virum, aliquando fortassis tale aliquid audierint. Nos tamen perpepsi frequenter his quae ab eo cum magno timore Dei, & cum omni humilitate dicuntur: cum veniam peti pro his quae per

nimiam discussionem & per multam scrutationem scripturarum animo disputantis occurrunt: quae cum exponit, frequenter addere solet & profiteri, se non haec quasi definitiva pronuntiare sententia, nec statuto dogmate terminare: sed inquirere pro viribus & sensum discutere scripturarum: nec tamen profiteri quod integre perfectèque comprehenderit, suspicari magis se de quampulcris dicens, nec tamen certum esse, quia in omnibus quod perfectum est & integrum assecutus sit.

Sed & nonnumquam invenimus eum de multis haeresibus profitentem, in quibus ea quidem quae in quaestione veniunt movet: nec tamen absolutiones eorum adjungit: sed cum omni humilitate & veritate non erubescit fateri sibi non liquere. Audivimus etiam illud ab eo frequenter intexi: quod hodie ne quidem isti imperitissimi omnium obrectatores ejus dicere dedignantur: ut si quis melius de his locis quae ille differunt dixerit vel exposuerit: illi potius qui rectius dixerit quam sibi esse auctulandum.

Præterea comprehendimus eum nonnumquam diversas expositiones eisdem capitulis facere, & cum omni reverentia, quasi qui sciat se de sanctis Scripturis dicere, cum multa quae sibi occurrunt exposuerit, praecipit his qui legunt probare de singulis quae dixerit: & quod rectius prudens lector judicaverit, obtinere: profecto quia nec ipsum latebat, quod non omnia quae moverat vel discusserat, probabilia vel fixa haberi deberent: pro eo quod multa mystica in Scripturis sanctis, & in secreto recondita esse credantur. Illud denique ejus si intentius advertamus quam integrè & catholicè de omnibus tractatibus suis in praefatione eorum librorum quos in Genesim scribit, proteclatus est: omnem ejus sensum ex hoc facile cognoscemus.

**ORIGENES.** Nisi omnimodo pigri essemus ac desides: ne ad inquirendum quidem accedere Domino & salvatore nostro ad hoc nos provocante, profecto revocassemus pedem: considerantes quod longe sumus ab ea magnitudine spiritualis intelligentiae, quae de tam magnis rebus investigari debeat intellectus.

**PAMPHILUS.** Et paulo post ait. **ORIGENES.** Si cui vero in disceptatione profundum aliquid occurrerit: de hoc quidem dicendum est: sed non cum omni affirmatione. Hoc enim aut temerarii hominis est, ejus qui sensum humanae infirmitatis perdidit, oblitusque sui sit: aut certe perfectiorum virorum & eorum qui confidenter se sciant ab ipso Domino Jesu didicisse, id est, à verbo veritatis & ab ipsa sapientia per quam omnia facta sunt agnovisse: vel eorum qui divina responsa ingressi, turbinem & caliginem, ubi ipse Deus est, caelitus acceperunt: in quod vix ille Moyses ingressus, vel intelligere talia potuit, vel proficere. Nos vero pro eo solo quod mediocriter liget, credimus tamen Domino Jesu, & ejus gloriamur esse discipuli: nec tamen audeamus dicere: quod facie ad faciem ab ipso traditam susceperimus intelligentiam eorum quae divinis libris referuntur: quae quidem certum sum quod ne ipse quidem mundus pro virtute ac majestate sensuum capere potest. Propter quod pronuntiare quidem de his quae dicimus sicut Apostoli poterunt, non audeamus. In eo autem gratias agimus, quod cum multi imperitiam suam nesciant, & motus suos incompósitos & inordinatos, interdum etiam & ineptos ac fabulosos cum omni intentione, sicut sibi videntur, quasi verissima assertionem annunciant: nos de rebus magnis, & his quae supra nos sunt ignorantiam nostri non ignoramus.

**PAMPHILUS.** Cum ergo haec cum de se dicere audiamus, & hujuscemodi mente ac voto quae dicit, asserere: miramur in tantum temeritatis aliquos esse provectos: ut qui se ita humiliat & judicat, astruant quod ab aliis dicta ejus, vel libri pro sermonibus Apostolicis, vel dictis Prophetis habeantur: aut quod ille ipse, vel Prophetis, vel Apostolicis ab aliquo comparetur. Et quidem quod & honore presbyterii in Ecclesia praeditus fuerit, & vitam abstinentissimam egerit, & valde philosophicam: quodque purae religionis observaverit disciplinam: & praeteris verbis Dei & doctrinae operam dederit, dubium non est & ex his quae ad nos laboris ac studii ejus certissima designantur indicia: praecipue vero per eos tractatus quos penè quotidie in Ecclesia habebat ex tempore: quos & describentes notarii, ad monumentum posteritatis tradebant.

Consequens igitur erat ex his omnibus, laborum & studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum: & neque de-

ensionis studio plus dare ei meriti, quam mensura deposcit: neque rursus obrectandi vitio facile condemnare, & alienum ab Ecclesiastica doctrina temere pronuntiare: cum utrumque istud praecipitum providens ante divinus sermo prohiberit, dicens: Non sit in te mensura major, neque mensura minor: abominabile est enim in conspectu Domini utrumque. Uniuscuique enim prout dignum est retribuere, iustitiae proprium est. Propter quod & mensura integra & pondus aequale, & acceptabile est apud Deum: non hoc quod mentitur veritatem: per quod vel plus donatur rebus quam merita deposcunt, vel subtrahitur meritis quod debetur.

Quanto rectius agerent obrectatores isti, si absque illa animi praevisione cum omni religione veritatis, quam omnibus proximis nostris cum charitate jubemus expendere: intelligerent & ipsum unum de proximis esse, quibus charitatem ex mandato debemus: & assumptos libros ejus legerent, cum ea venia quam ipse in praefationibus suis deposcit: sicut venia dignum aliquid invenirent. Nunc vero è contrario videas eos maledictis quidem probrisque non parere: eos vero qui scripturarum intelligendarum secundum mandatum Domini, & salvatoris nostri studium gerunt, à lectione librorum ejus deterere, quaelibet alia etiam inepta, nihil profutura quam illius commentarios legi debere affirmantes. In quibus saepe etiam ridiculi aliquid pati solent. Nam ut eorum contentiosa praesumptio, vel ut verius dicam praedictrix vesania, facilius declaretur: accidere solet vel casu, vel interdum studio: ut nomine in codice non praerulato, legatur aliquid ipsius in auribus obrectatorum, quasi alterius tractatoris. Quod tam diu placet & laudatur atque omni admiratione habetur, quamdiu nomen non fuerit indicatum. At ubi Origene cognita fuerint esse, quae placebant, statim displicent, statim haeretica esse dicuntur: & ea quae paulo ante ad caelum usque ferebantur, iisdem vocibus, eademque lingua usque ad inferos demerguntur.

Præterea etiam illud est invenire, quod nonnumquam tales sunt accusatores ejus, qui nec Graecam noverint linguam: alii omnimodis imperiti, nonnulli etiam si aliquid videntur habere peritiae, non tamen etiam id studii habuisse inveniuntur, ut libris ejus operam dederint: aut si acciderit ut etiam legerint: non continuo etiam tantae eruditionis fuerint, ut altitudinem sensus ejus assequi quiverint: quo ea quae ille diverso prospectu pro locis & causis differere solet, advertere voluerint. Multos invenies, quos si interroges in quibus libris, aut in quibus locis dicta sint haec quae arguunt: confitentur se quidem nescire ea de quibus affirmat, nec legisse unquam: audisse autem alios dicentes.

Ex quo cuius plena ridiculi sententia eorum videbitur: cum de his judicant atque ea condemnant, quae nec discere quidem prius aut nosse potuerunt. In alios vero novi furoris morbus & inaudita cladis incescit infamia: cum tam multa ejus volumina referat totius utilitatis & instructionis habeantur: & satis rara & perpauca forte loca sint, in quibus vel imperitiores quique, vel quod melius malivoli posse sibi videantur offendi: omnia quidem illa quae & catholica & ad edificationem animae atque sententiae instructionem etiam ipsi apta fatentur, omittunt & negligunt: nec aliquid inde, unde possunt & debent proficere volunt: ea vero sola quae ad calumniam proficiant, summo studio ediscunt, ut qui boni nihil unquam forte didicerint, haec quae ipsi non esse bona dicunt, apprime memoriae retinenda commendant: quo videlicet promptius ea proferentes, exercitatus valeant concinnare calumnias.

Aliud quoque est genus hominum scdam sane & turpe, quantum ad probitatem pertinet morum, sed ad calumniandum vehementius & tetrius ad incusandum, quos Graeci *κατακλιμακτορες* appellaverunt, qui summum quidem studium, sed & satis intentam operam libris ejus dederunt: ita ut & magistro eo in omnibus uterentur, & se ei tanquam speciales discipulos manciparent. Sed ubi ad id loci ventum est, ut jam se magistros malint quam discipulos nominari, ubi auditorii plausus sectari coeptus est: ibi si forte aliquis audientium, quae laudantur Origene esse obmurmuraverit: ne vel laude cedatur magistro, vel culpae iudicio, alienum esse Origene continuo protestantur: nihil sibi cum illius doctrina commune esse confirmant.

Anathema quoque eum dicere non dubitant improbe, & inferre maledicta non parant: ne illum quidem Apostolicum sermonem verentes, quo designat: Quia maledicti regnum



Dei non possidebunt. Intantum autem horum, de quibus diximus, progressa est malitia, ut quidam etiam conscribere adversus eum ausi sint: & libellis aditis derogare ei viro, qui per tot annos magister Ecclesie fuit, qui in Ecclesia senit: qui adversus eas hereses quae illo tempore Ecclesiam impugnant, ita constanter, ita fortiter dimicavit, ut omnia eorum diabolicae machinationis fundamenta subverterit: non studiorum laborem, non continentiae, non institutionis, non humilitatis, quae supra ceteras omnes virtutes ejus maximam gratiam continet: non illud certe considerantes quod presbyteri dignitate in Ecclesia honoratus est.

Quae si omnia ad revocandam linguam comprimendumque sermonem sufficere non possunt: illud saltem contemplari debuerant, quantam irridendi materiam gentilibus, quantam haereticis tribuant: cum eos quos assertores Christiani dogmatis & defensores putant, confutari nunc videant & repelli à propriis: & velut civili bello gaudeant impugnantem, quem ipsi hostiliter impugnavit non poterant.

Quoniam ergo quamplurimi ex simplicioribus quibusque fratribus à supradictis leduntur, non solum ut de ipso male sentiant, sed etiam de iis qui studio scientiae & intelligendarum scripturarum, inter ceteros etiam libros, illius libros conspiciunt: ita ut vos quoque ipsi in dubium veneritis: ne forte vel multitudini vel auctoritati calumniatorum fides deberet adhiberi, de his quae passim & sine respectu diffamantur: visum nobis est, primum quidem curare suspensionem vestram, simul etiam per occasionem vestri omnium qui e obtrectant confutare calumnias. Quod ita nobis prosequi rectius visum est, ut non nostris verbis & assertionibus defensionem paremus: sed ex suis propriis vocibus, quibus ipse aliena haec esse, quae isti obijciunt proprio sermone testatur, id est, omne quidquid praeter Catholicam fidem praedicatur: quia si nostris verbis haec asserere velimus, suspiciosum forte videri possit, eo quod nos amore si quid ipse pravè senserit celaverimus.

Ubi autem ejus ipsius qui accusatur vocibus, & ad omnes objectiones acculatorum, verbis suis cum non nostra assertionem defendimus: quae ultra relinqui potest criminatorem occasio, saltem his qui non veri studio, sed velut libidine quadam culpandi semper agitantur. Et quando nunc de eo sermo est, qui utique apud homines defunctus est: quid apud homines iudices pro defuncto fortius & firmiter valere debet, quam & literarum & scripturae defuncti? Incipientes igitur indicium scriptorum suorum ostendere, quid de singulis senserit: ex his praecipue libris testimonia congregabimus: quos accusatores ejus quam maxime criminantur, id est, quae per spatium & quietem in secreto conscripserit. Haec enim asserunt maxime à predicatione Ecclesiastica discrepare: ex his praecipue libris, quos *πρὸ ἀρχαίων* articularunt: in quibus quam plurimè à calumniatoribus inculantur.

In his ergo ipsis inter principia, quali expositione fidei usus sit, proferemus: tum inde & ex his quae sparsim, vel per ipsos libros, vel ceteros senserit assignabimus, cum praedicationem Apostolicam custodisse. Est ergo lectio ex primo *ἀπὸ ἀρχαίων* quam promissimus haec.

ORIGENES. Sicut enim multis apud Graecos & barbaros pollicentibus veritatem desuevimus apud omnes eam quaerere, qui eam falsis opinionibus asserbant: posteaquam credidimus Filium esse Dei Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cum multi sint qui se putant sentire, quae Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant: servetur vero Ecclesiastica praedicatione per successione ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad praesens Ecclesiastica traditione discordat. Illud tamen scire oportet, quoniam sancti Apostoli fidem Christi praedicantes, de quibusdam quidem quaecumque necessaria crediderunt, omnibus credentibus etiam his qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videbantur, manifestissime tradiderunt: rationem solius assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam, qui spiritus dona excellentia, & praecipue sermonis sapientiae & scientiae, per ipsum Spiritum sanctum percipere merebantur.

De aliis vero, dixerunt quidem quia sint: quomodo autem & unde sint, siluerunt: profecto ut studiosiores quique ex posteris suis amatores sapientiae & scientiae exercitium habere possent, in quo ingenii sui fructum ostendere valerent: hi videlicet qui dignos se capaces sapientiae praepararent. Spe-

cies vero eorum quae per praedicationem Apostolicam manifestè traduntur, istae sunt. Primo, quod unus est Deus, qui omnia creavit atque composuit: quique ex nihilo esse fecit universa: Deus à prima creatura omnium iustorum & à conditione mundi: Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noè, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, duodecim Patriarcharum, Moyse & Prophetarum: & quod hic Deus in novissimis diebus, sicut per Prophetas suos ante promiserat, misit Dominum Jesum Christum: primo quidem vocatum Israel: secundo vero etiam gentes, post perdidit populi Israel.

Hic Deus iustus & bonus Pater Domini nostri Jesu Christi, legem & Prophetas & Evangelia ipse dedit, qui & Apostolorum Deus est, & veteris ac novi testamenti. Tum deinde quia Jesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex patre est. Qui cum in omnium conditione patri ministrasset, per ipsum namque omnia facta sunt: novissimis temporibus se ipsum exinanienti homo factus est. Incarnatus est cum Deus esset: & homo factus, mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile: eo solo differens, quod natum ex virgine & Spiritu sancto est. Et quoniam hic Jesus Christus natus & passus est in veritate, & non per imaginem: communi hac morte verè mortuus: verè enim à mortuis resurrexit: & post resurrectionem conversatus est cum discipulis suis, & assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non jam manifestè discernitur utrum natus sit aut innatus.

PAMPHILUS. Qui de nato vel innato requirit, sine dubio creatura: in eo nullam habet opinionem: alioquin & hoc adduxisset ad inquisitionem. Et adjungit Origenes, vel filius etiam ipse Dei habendus sit nec ne.

ORIGENES. Sed inquirenda jam ista pro viribus sunt de sancta scriptura, & sagaci perquisitione investiganda.

Sane quod iste Spiritus sanctus unumquemque sanctorum vel Prophetarum vel Apostolorum inspiravit: & non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt fuerit, manifestissime in Ecclesiis praedicatur. Post haec jam quod anima substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, & pro suis meritis dispensabitur sive aeternae vitae, ac beatitudinis hereditate potitura, si ei hoc sua gesta praestiterit: sive aeterno igni ac suppliciiis mancipanda, si in haec eam scelerum culpa detorserit. Sed & quia erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione: & quod seminatur in ignominia, surget in gloria.

Est & illud definitum in Ecclesiastica praedicatione, omnem animam esse rationabilem, liberi arbitrii & voluntatis: esse quoque certamen adversus diabolum & angelos ejus, contrariaque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant: nos vero si rectè consuleritque vivamus, ab hujusmodi nos exuere conemur. Unde & consequens est intelligere non nos necessitati esse subjectos: ut omnimodo etiam si nolimus vel bona vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, impugnare fortasse nos possunt aliqua virtutes ad peccatum, & aliae juvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur, vel rectè agere vel male. Quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursus & motus, causam dicunt humanorum esse gestorum: non eorum quae extra arbitrii libertatem accidunt: sed eorum quae in nostra sunt posita potestate.

De anima vero utrum ex semine traducis ducatur: ita ut ratio ipsius vel substantia inserta corporalibus feminibus habeatur: an vero aliud habeat initium: & hoc ipsum initium si genitum est, aut non genitum, vel certe si extrinsecus corpori inditur, nec ne: non satis manifesta praedicatione distinguitur.

De diabolo & angelis ejus contrariisque virtutibus Ecclesiastica praedicatione docuit, quoniam sint quidem haec: quae autem sint, vel quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus: & apostata effectus quam plurimos angelorum secum declinare persuaserit: qui & nunciusque angeli ipsius nuncupentur. Est praeterea & illud in Ecclesiastica praedicatione: quod mundus iste factus sit, & à certo tempore coepit, & sit pro ipsa sui corruptione solvendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit: jam non pro manifesto multis innotuit. Non enim evidenter de his in Ecclesiastica praedicatione sermo profertur.

Tum deinde quod per Spiritum Dei scripturae conscriptae sunt,

sint, & sensum habeant non eum solum qui in manifesto est: sed & alium quemdam latentem quamplurimos. Formae enim sunt haec quae scripta sunt sacramentorum quorundam, & divinorum rerum imagines. De quo totius Ecclesiae unus est sensus: esse quidem omnem legem spiritualem: non tamen ea quae spirat lex omnibus esse nota: nisi his solis quibus gratia sancti Spiritus in verbo sapientiae ac scientiae condonatur.

PAMPHILUS. Et post pauca ait. ORIGENES. Est etiam illud in Ecclesiastica praedicatione, esse angelos Dei quosdam & virtutes bonas qui ei ministrarent ad salutem hominum consummandam: sed quando isti creati sint, aut quomodo sint, non satis in manifesto distinguitur. De sole autem & luna & stellis utrum animantia sint, an exanimia, manifestè non traditur. Oportet igitur velut elementis ac fundamentis hujusmodi uti secundum mandatum, quod dicit: Illuminate vobis lumen scientiae, cum qui cupit seriem quandam & corpus ex horum omnium ratione conficere: ut manifestis & necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in verum rimetur, & unum ut diximus corpus efficiat: exemplis & affirmationibus, vel his quas in sanctis Scripturis invenerit, vel quas ex consequentia ipsius indagine ac recti tenore reperit.

PAMPHILUS. Haec quidem in principio primi libri *ἀπὸ ἀρχαίων* differunt: ut ostenderet, quae sint illa quae manifestè in Ecclesiastica praedicatione tradita sunt: & quae sint quae non aperte definiuntur. De quibus singulis secundum eam divisionem quam supra ostendit, sparsim disputat: In reliquo vero corpore librorum, ea quidem quae ex definito praedicari ab Ecclesia supra docuit, omnibus adhibitis probamentis ex Scripturis sanctis, manifestis & constantibus asserens.

De his vero, de quibus ostendit, non manifestè, neque ex definito in Ecclesia praedicari, opinionibus magis, & iis sensibus qui disputant & tractant de talibus occurrere poterunt, quam certis aliquibus ac definitis assertionibus utitur: id est, discussionibus & pertractantibus potius quam affirmans. In omnibus tamen locis sermonis sui meminit ejus, quem supra exposuimus, cum ait: illam solum recipiendam & credendam esse veritatem, quae in nullo Apostolicis & Ecclesiasticis dogmatibus adversatur.

Et non solum in his libris, quorum supra fecimus mentionem: sed & in omnibus quae de scripturis exponit, hac sententia uti solet, & in iis praecipue, in quibus plures unius capituli interpretationes exponit: hoc asserens se quidem, ne quid quod dici possit omittet, plura vel diversa prout sentire potuit protulisse: illud autem teneri debere, quod Apostolicis & Ecclesiasticis lector probaret. Hoc idem facit etiam cum Haereticorum discutit sectas: quibus omnibus confutatis atque victis, unam solum eam quam supra exposuit Catholicæ veritatis sententiam tenet.

De quibus singulis qualiter responderit haereticis, & quomodo universa eorum dogmata destruens, ipse semper Apostolicam confirmaverit fidem: si velimus omnes ejus sententias congregare, & longum satis est, & erit tam nobis qui scribimus onerosum, quam legentibus tardiosum. Sed sufficit pauca proferri, in quibus omnium profecto facile dignoscuntur iudicia. Neque enim contra Domini sententiam sentiendum est: ut qui in paucis invenitur fidelis, non etiam in multis & haberi debeat fidelis & credi.

Primum ergo ex eis libris ponemus exemplum, quod illi superiori conveniat, ex eo libro quem in Epistola Pauli Apostoli ad Titum scripsit de eo capitulo, in quo dicit Apostolus: Haereticum hominem post trinam correctionem devota: sciens quia perversus est & peccat, qui est à semetipso damnatus: de quo dixit: qualis sit qui Haereticus, & qualis sit qui Catholicus est & Ecclesiasticus.

ORIGENES. Nomen haereticis quantum ego deprehendere potui, etiam in Epistola Pauli Apostoli ad Corinthios designatur hoc modo: Oportet enim & haereticis esse, ut probati manifesti sint inter vos. Et iterum ad Galatas: Inter opera carnis, haereticis quoque nomen ascribitur, sicut ait: Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idololatria, veneficia, inimicitiae, contentiones, amulationes, irae, rixae, discordiae, haereticis, ebrietates, compellationes, & his similia, quae & praedixi vobis: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Per quae cognoscimus, quoniam sicut ii qui fornicationibus, & immunditiis atque impudiciis & idolorum cultibus macu-

Tom. V.

lari sunt, regnum Dei non possidebunt: ita & ii qui in haereticis declinaverint. Neque enim putandum est tanti Apostoli tam absolutam sententiam posse ullo genere vacillare. Apostolus enim est omnium Ecclesiarum Christi, non ab homine, neque per hominem: sed per Jesum Christum & Deum Patrem electus: propterea ergo secundum auctoritatem sententiae ipsius, oportet nos sicut reliqua mala quae numeraverat, ita nomen haereticis devitare, neque cum talibus orationis societate misceri.

PAMPHILUS. Et post haec paucis quibusdam per medium inferis adjecit. ORIGENES. Quid vero sit haereticus homo, pro viribus nostris secundum quod sentire possumus, describamus. Omnis qui se Christo credere profiteretur: & tamen alium Deum legis & Prophetarum, alium Evangeliorum Deum dicit, & Patrem Domini nostri Jesu Christi, non eum dicit esse, qui à lege & Prophetis praedicatur, sed alium nescio quem ignotum omnibus, atque omnibus auditum: hujusmodi homines haereticos designamus, quamlibet variis ac diversis ac fabulosis concinent ista figmentis: sicut sectatores Marcionis & Valentini & Basilidis, & ii qui se Ethianos appellant: sed & Apelles, licet non omnibus modis Dei esse legem deneget & Prophetas, tamen & ipse haereticus designatur, quoniam Deum qui hunc mundum condidit, ad gloriam alterius ingenti & boni Dei eum construxisse pronunciat: illum autem ingenitum Deum in consummatione saeculi misisse Jesum Christum ad emendationem mundi, rogatum ab eo Deo qui eum fecerat, ut mitteret filium suum ad mundi sui correctionem.

Et si quidem hic solummodo qui de Deo patre aliter sentit quam regula pietatis exposcit, haereticus habendus esset: & sufficeret utique quod superius dictum est: sed nunc unum idemque credendum est: etiam de eo qui de Domino nostro Jesu Christo falsi aliquid senserit: sive secundum eos qui dicunt eum ex Joseph & Maria natum, sicut sunt Hebionites & Valentini: sive secundum eos qui primogenitum eum negant & totius creaturae Deum & verbum & sapientiam, quae est initium viarum Dei, antequam aliquid fieret ante saecula fundatam, atque ante omnes colles generatam: sed hominem solum eum dicentes: vel secundum eos qui Deum quidem fatentur: non tamen hominem assumpsisse, id est, animam corpusque terrenum: qui sub specie quasi amplioris gloriae Jesu Domino deferendae, omnia quae ab eo gesta sunt phantasticè magis quam verè gesta esse testantur: quique neque de virgine natum testantur: sed triginta annorum virum apparuisse eum in Judaea. Alii verò ex virgine quidem eum credunt esse progenitum, sed putasse se magis virginem peperisse: non tamen vere peperisse confirmant: latuisse quippe etiam virginem putativae generationis asserunt sacramentum. Qui quomodo non longe ab Ecclesia ponendi sunt, cum phylargyria morbo languentes, dogmata staterunt quibus ad suum nomen discipulos declinarent?

Sed & eos qui hominem dicunt Dominum Jesum praegenitum & praedestinatum, qui ante adventum carnealem substantialiter & proprie non extiterit: sed quod homo natus patris solum in se habuerit deitatem, ne ipsos quidem sine periculo Ecclesiae numero sociari: sicut & illos qui superstitiose magis quam religiose, uti ne videantur duos Deos dicere, neque rursus negare salvatoris deitatem, unam eandemque substantiam patris ac filii asseverant: id est, duo quidem nomina secundum diversitatem causarum recipientem, unam tamen hypostasin subsistere, id est, unam personam duobus nominibus subjacentem, qui Latine Patrispassiani appellantur.

Sed & sunt qui Spiritum sanctum, alium quidem dicant esse qui fuit in Prophetis, alium autem qui fuit in Apostolis Domini nostri Jesu Christi: unum autem idem delictum impietatis admittunt: quod illi qui quantum in se est naturam deitatis secant & scindunt, dicentes unum legis, & alium Evangeliorum Deum.

Sed & illi qui non omnes humanas animas unius ejusdemque dicunt esse substantiae, sed diversas naturas animarum, inter eos haereticos numerandi sunt, qui iniquitatem in excelsis loquuntur, ac injustitiam iniquitatemque ejus accusant.

Necnon & illi qui liberi arbitrii potestatem ex animabus auferre nituntur, velut pernicioso dogmate communi humanae vitae & virtuti continentiae, labem quamdam inferre iudicandi sunt: ne humani propositi reputetur bonum quid vel

P